

De Principum et Imperator. Habsburgico
Austriae. amor et favore in liberis.

Handl. pers. Sage
Pn
4544

AD ORATIONES SOLENNES
QVAS
IUVENES
NOBILISSIMI ET PEREXIMI
FRIDERICVS GVILIELMVS PRIBERVS

ET
IO. CAROLVS HEFTERVS

ZITTAVIENSES
ANTE ABITVM
IN ACADEMIAM HALENSEM

A, D, V, CALEND, MAIAS A. S, R, OO IO CC XXXII

H. L. Q. C

HABEBVNT

BENEVOLE AVDIENDAS

INVITAT

BENIAMINVS GOTTLIBVS GERLACHIVS

A, A, MAGISTER ET GYMNASII DIRECTOR



Magnifico aqve Excellentissimo
Kappio
Scholasticum



LVgent adhuc sinceri Germani, et complorant augustissimum Imperatorem, Carolum Sextum, casumque tam funestum moerent perinde, ac si publicum ipsius patriae funus elatum sit, tristissimoque salutus crucifae spectaculo deductum, Profecto, si unquam casus aliquis non modo uniuersae Germaniae, sed omni omnino Europae acerbus accidisse uideri potest, hic certe optimi Caesaris tam inprouisus inopinatusque decessus publicis omnium lacrynis merito defletur. Ereptus enim est terris diu inorum humanorumque decorum admiratione uenerabilis Princeps, qui nulli omnium, quotquot Germanis imperauerunt, siue in pace sapientia et consilio, siue in bello fortitudine cum clementia coniuncta, cedit, atque illo praesertim tempore ex oculis nostris sublatus est, quo uix aliud fuit uel commodius declarandae uirtuti Carolinae, uel magis necessarium, cuius ille ambiguos difficileseque casus incredibili sua sapientia, maximaque, qua pollebat, auctoritate temperaret. Sed amisso tanto Caesare, tam bono, tam clementi, tam sapiente, ac dote tam uaria diuino Principe, Musae quoque simul in Germania grauem, tanti Herois obitu, iacturam fecerunt. Namque sanctissimus, atque in exemplum nominandus Imperator, qui ad perficiendam patriae saeculique gloriam genitus erat, literis quoque a pueritia sic deditus fuit, ut eisdem proeectiore aetate non solum in deliciis haberet, uerum, et naturae praesidiis et artis adiutus, ad illas magis magisque excolendas permultum studii referret. Videbar enim prudentissimus Caesar, ad eam sapientiam, qua beata praestari queat respublica, literas haud parum conferre, quibus etiam nihil uel ad honorem dignitatemque consequendam tuendamque praeclearius, uel ad relaxandos animos praesentius, uel ad eosdem in studio confirmandos exacuendosque acrius esse possit. Quantum igitur otii per imperii curas ipsi relictum fuit, tantum sibi ad studia recolenda sumisit, neque in ulla re alia suauius, quam in pulcherrimis ueterum, Iulii praesertim Caesaris, Titique Liuii monumentis, summus ille doctrinae elegantioris, eruditionis et antiquitatis amator ponere consueuit. Ex quibus fontibus fluxit quoque illa pure et eleganter dicendi facultas cum pari splendore et maiestate coniuncta, quam omnes ii, quibus tam felicibus esse licuit, ut eam admirarentur, suspicere satis non poterant. Quemadmodum uero summus imperii Christiani Princeps amauit literas: ita summa semper gratia complexus est, benignissimeque fouis atque protexit ornatiores ingenia, quod illa reipublicae non minus praesidio esse soleant, quam ornamento. Erat enim in Carolo augustissimo insitus quidam eruditionis eruditorumque hominum amor longe maximus, maiorumque suorum ex perantiqua et illustrissima domo Habsburgia ortorum imagines, non solum ad intuentium, uerum etiam ad imitandum relictas, sibi semper cum in administranda reipublica, tum in sapientiae et doctrinae laude consequenda amplificandaque proponebat, atque animum mentemque suam ipsa cogitatione tantorum excellentissimorumque Principum conformabat. Hi autem admirabilem praestantia rerum augusti Caesares, dum literis nunquam non indulserunt, summosque illarum cultoribus decreuerunt, per fugiumque tuissimum praebuerunt, atque in fidem suam clientelamque receptos quam liberalissime aluerunt, facto ipso comprobauerunt, uerum omnino esse, quod Reinerus ille Reineccius, uir doctrinae laude clarissimus, censuit, id nimirum decus praepotenti Habsburgiae domui paene gentilitium esse

coepisse, ut Hercules Musarum in ea recognoscamus merito, atque optimo iure reueremur. Nemo sane unus erit, qui ambigat, aut Reineccianae sententiae veritatem, nisi experts rerum Habsburgiarum, in dubium uocare audeat. Ueritatem in Rodolpho superiore, Alberti cognomento sapientis, filio, fuerit in literas literatosque amor, uel eo satis mihi probasse uideor, quod hic bibliothecae Vindobonensis, quae nostra memoria pro regina bibliothecarum in Germania haud immerito habetur, prima fundamenta iccerit, hominesque doctos elementer acceperit, quin in castris ad Basileam factis pro libro sibi nuncupato auctorem torque aurea, collo suo detracta, donauerit, honorificeque eundem dimiserit. Taceo Albertos et Fridericos, qui non tantummodo doctorum hominum consuetudine libenter usi fuerunt, eximiiisque ingenii delectati sunt, sed bibliothecam quoque, ab Rodolpho fundatam, insigniter locupletarunt, ac sumptibus haud exiguis domicilia extrui curarunt, in quibus literae docerentur, hominesque docti lautis stipendiis alerentur. Haud aberrauerit, meo quidem iudicio, a uero, qui Maximilianum superiorem elegantiorum literarum in Germania parentem statoremque dixerit. Tanti enim Principis auspiciis omnis fere doctrina liberalis ex Graecia et Italia, quin etiam ex ipso Oriente ad Germanos transisse uidentur. Hic non modo Vindobonae publicas poetices, disciplinarumque mathematicarum scholas aperuit, atque in illa Conradum Celtam, primum e Germanis a Friderico patre poetica laurea donatum, artis huius, itemque oratoriae doctorem constituit, uerum etiam in comitiis Augustae Vangionum anno quinti decimi saeculi quinto et nonagesimo celebratis, de excitandis augendisque in Germania doctrinarum studiis consultationem habuit, sapientissimeque decreuit, ut septemuirum quisque publicam scholam, siue academiam, in terris suis conderet, ac pro uirili parte literas subleuaret. Maxima quoque ipsi cura fuit, ut codicum manu exaratorum supellex inde ab Imperatore Rodolpho, cum a ceteris Habsburgiis, tum in primis a Friderico patre, Aeneae Syluii potissimum et Georgii Purbachii studio, collecta, cum reliquis Graecis Latinisque libris iam excusis, Conradi praefertim Celtis opera in modum iustae bibliothecae redigeretur, atque e priuata in publicam conuerteretur. Tametsi tanti Caesaris nepos, Carolus, bellicarum magis, quam liberalium scientiarum studiosior uideretur, nihilo tamen minus et historiae et mathematices, physicesque amanatissimum fuisse, atque erga doctos se ualde liberalem exhibuisse, multis exemplis comprobari posset. Quantum Ferdinandus I, quantum filius eiusdem Maximilianus, laudatissimi exempli Principes, literis tribuerint, eruditosque dilexerint, uel id satis fidei facit, quod illum maluisse, legimus, gemmas thesaurosque cunctos disperdi, quam literas nesciri, omniumque regnorum suorum iacturam, fieri, quam doctrinae, Maximilianum autem ita literis fuisse eruditum scimus, ut non tantum ornate politeque loqui cum doctis potuerit, sed etiam de optimarum artium studiis ac disciplinis recte scienterque iudicare. Vtriusque uero augustissimi Imperatoris regia, iusto Lipsio teste, plures eruditos, uariisque scientiis ac disciplinis instructissimos uiros habuit, quam aliorum tota regna. Bibliotheca etiam augusta rarissimis omnis generis monumentis sic erat ornata, ut iam tum certare cum aliis posset. Quid ergo mirum est, Rodolphum II, patris, a uorumque exemplis excitatum, tanto erga studia literarum amore fuisse, ut uiri ingenio scientiaque

FK II n 4544

X 3380886

recondita nobilissimi ex omnibus Europae partibus, laetis inuitati stipendiis, Pragae conuenirent, doctissimi huius Principis gratiam inirent, Adamarunt non solum literas iisque deditos, sed ipsimet bene excolti erant, Matthias et Ferdinandi, ac nisi turbulentus tum patriae status fuisset, longe maiorem, perinde ac factum ab iis est, literis opem tulissent. Quanto ardore in optimarum artium ac disciplinarum studia incubuerit Leopoldus, Imperator augustus, quanta benignitate eruditos fouerit, quanti etiam Romani sermonis, quo legatis exteris elegantissime literatissimeque respondere consuevit, cultum munditiamque fecerit, non opus est, ut pluribus testimoniis confirmem, quippe cum ubique testes fide dignissimi reperiantur, qui in Imperatore optimo poetice, dicendique facultatem prorsus eximiam, summamque rerum in orbe gestarum cognitionem admirati sunt, eiusque in homines doctos beneuolentiam plane singularem uenerati. Tanti igitur patris in uestigiis institerunt filii ad maxima nati Iosephus et Carolus, quorum ille quidem praeter insignia prolixae in bonas literas uoluntatis documenta longe plura dedit, nisi improuisus eius e uita discessus maximam certissimamque de se conceptam spem orbi erudito rapuisset. Sed quae praematura fati uis anteuerat, quam cumulatissime praestitit frater, Carolus augustissimus, Habsburgiaeque gentis immortalem gloriam hic Musarum Hercules nouis immensisque meritorum accessionibus mirifice amplificauit, posteritati, si qua grata atque erudita futura est, admirandam, religiosissimeque suspiciendam reliquit.

Idcirco non possumus non uehementer approbare pium atque laudabile institutum iuuenum ingenii ac uirtutis laude florentissimorum, FRIDERICI GVILIELMI PRIBERI et IO. CAROLI HEFTERI, qui ante professionem in academiam Halensem, scientiae iuris, artificum salutaris discendae causa propediem suscipiendam, augustissimam domum Habsburgiam, illustribus uirtutum factorumque exemplis insignem, et cum serenissima domo Saxonica necessitudinis cognationisque uinculo arctissime coniunctam, tam numeris uincta, quam soluta oratione concelebrabunt. Alter enim de Imperatoribus inde ab Rodolpho superiore ad Carolum Sextum usque ex domo Habsburgia ortis carmen patrio sermone compositum recitabit: alter uero de originibus eiusdem illustrissimae gentis, de summisque in literas meritis, Latine dicet. Quibus peractis, studiorum sociis atque amicis suis carissimis iuuenes aliquot optimaee spei, nempe

- IO. GOTLIBIVS ETMULLERVS, Zitauiensis, oratione Gallica,
 - IO. DAVID LEHMANNVS, Intreboga Saxo, oratione Latina,
 - CHRISTIANVS GOTLIBIVS SCHMIDIVS, Loebauia Lusatus, oratione Graeca,
 - ADOLPHVS GOTLOBIVS A CARLOVVIZ, Eques Misnicus, oratione Germanica,
 - IO. SALOMON HAVSDORFIVS, Heyneuald, Lusatus, carmine Latino,
 - IO. GODOFREDVS ROEDERVS, Dresena Misnicus, carmine Germanico,
- applaudent, iisque felices ac fortunatos studiorum successus nobiscum comparecabantur.

Optamus igitur, atque ab magnificis amplissimisque patriae Patribus maximopere contendimus, ceterisque omnium ordinum ac dignitatum Literatos uenerandos precamur et quaesumus, ut futuro Iouis die, hora VIII, ad dicturos beneuole audiendos, haud grauate conueniant. P. P. A. D. VIII. Calend. Maias, qui dies in fastis lacris est *Dominica Iubilatae*, A. S. R. ∞ D CC XXXI.

ZITTAVIAE FORMIS IOANNIS CHRISTIANI STREMELII.

Handwritten notes and a stamp: "H. n. 4544" in a green hexagonal stamp.

De Principum et Imperator. Habsburgico Austriae amore et favore in literas.

Faint, mirrored text from the reverse side of the page, appearing as bleed-through.

AD ORATIONES SOLEMNES

QVAS

IUVENES

NOBILISSIMI ET PEREXIMI

FRIDERICVS GVILIELMVS PRIBERVS

ET

IO. CAROLVS HEFTERVS

ZITTAVIENSES

ANTE ABITVM

ACADEMIAM HALENSEM

A, D, V, CALEND, MAIAS A. S, R, OO MD CC XXXII

H. L. Q. C

HABEBVNT

BENEVOLE AVDIENDAS

INVITAT

IAMINVS GOTLIBIVS GERLACHIVS

A, A, MAGISTER ET GYMNASII DIRECTOR



Handwritten signature: "Magnifici et qu. Zwickau. Kappio Scheibelen"